

158. Obiic. Si miracula fierent, leges naturae essent mutabiles. Atqui leges naturae esse mutabiles repugnat tum ex parte Dei, quia repugnat voluntatem Dei, qui illas constituit, esse mutabilem, tum ex parte ipsius naturae, quia, cum naturae rerum sint fixae, et determinatae, determinatae etiam, proindeque immutabiles esse debent leges, quibus ipsae gubernantur. Ergo miracula fieri haud possibile est.

159. Resp., *conc. mai.*; *neg. min.*; *neg. cons.* Et sane neque ex parte Dei, neque ex parte ipsius naturae quidquam prohibet, quin leges particulares aliquando mutantur. Non quidem ex parte Dei. Etenim Deus, cum leges naturae liberrime statuisset, illas eadem voluntate, qua constituit, mutare, aut suspendere potest, quoties ordo Providentiae id exoptulat. Neque idcirco mutari Deus dicendus est. Nam « Deus, ait s. Thomas, ab aeterno praevидit, et voluit se facturum, quod in tempore facit. Sic ergo constituit naturae cursum, ut tamen praeterordinaretur in aeterna sua voluntate, quod praeter cursum istum quandoque facturus esset <sup>1</sup> ». Neque ex parte ipsius naturae. Nam rebus, quae a Deo creatae sunt, ab Eoque conservantur, et reguntur, non repugnat, immo consentaneum est ipsas nutui Dei obedire. Atqui, cum leges mundi ob immediatam actionem Dei mutantur, res creatae nutui Dei ipsas creantis, conservantis, gubernantisque obediunt <sup>2</sup>. Ergo ex parte naturae non repugnat leges eius aliquando mutari <sup>3</sup>. Nisi quod, cum leges naturae per miracula mutari dicuntur, putandum non est miraculo laedi ullam legem generalem naturae, quia, ut ex allatis exemplis colligitur, Deus miracula patrat non quia legem generalem a se statutam destruit, sed quia eius effectum relate ad aliquam rem particularem suspendit, vel quia in natura aliquem effectum sensibilem per se, et immediate producit <sup>4</sup>.

<sup>1</sup> *Qq. disp., De Pot., q. III, a. 1 ad 6.*

<sup>2</sup> Cf s. Bonav., *In lib. I Sent., Dist. XLII, a. 1, q. 3 ad arg.*

<sup>3</sup> Vid. etiam quae adnotavimus p. 153, not. 1.

<sup>4</sup> Hinc cum miracula contra naturam fieri dicuntur, id de naturis particularibus tantum intelligendum est; neque ita ut earum essentiae adverteretur; haec enim illud tantum exoptulat, quod si naturaliter operetur, non nisi operationes sibi consentaneas exerere possit. Item, etsi in miraculis effectus fiant contra ordines particulares rerum, tamen semper secundum ordinem universalem Divinae Providentiae eveniunt, cui ordines particulares subiiciuntur, siquidem ad Divinae Bonitatis manifesta-

## CAPVT VII.

## De mundi origine

ART. I. *Utrum mundus a Deo sit creatus*

160. *Creationis* nomine intelligitur productio rei « in esse secundum totam suam substantiam », ita ut « causalitas creantis se extendat ad omne illud, quod in re invenitur <sup>1</sup> »; unde definitur: Productio totius esse rei ex nihilo, ita ut nihilo antea extet, ex quo res educatur. Hinc valde distat creatio ab illa actione, quae simpliciter *effectio* dicitur, nempe per quam subiectum, quod iam existit, immutatur. « Duplex modus est caussandi. Unus quidem, quo aliquid fit, praesupposito altero. Alio modo caussatur aliquid, nullo praesupposito. Et hoc modo dicitur aliquid fieri per creationem <sup>2</sup> ».

161. Prop. *Mundus a Deo esse suum habet per creationem* <sup>3</sup>.

*Probat*ur prima pars, nempe mundum habere esse suum a Deo. Omnes res, ex quibus mundus constat, non sunt ex se ipsis, sive, ut Scholae aiunt, non habent esse ex se. Atqui id, quod non est ex se, oportet ut sit ex alio, seu, ut habeat esse ex alio, quippe quod nihil medii est inter esse a se ipso, et esse ab alio. Quotquot igitur res sunt, ex quibus mundus componitur, esse suum ab alio habent. Atqui hoc aliud, a quo res mundanae esse suum repetunt, non nisi Deus esse potest; nam ea, quae non sunt a seipsis, cum habeant esse *participatum*, causam sui esse in eo agnoscunt, cui esse *essentialiter* convenit; Deus autem dumtaxat est Ens, cui esse *essentialiter* convenit. Ergo omnes res mundanae a Deo esse suum habent <sup>4</sup>.

162. *Probat*ur altera pars, nempe modum, quo mundus esse

tionem, et divinae gloriae revelationem ordinantur. Vid. s. Thom., *Qq. disp., De Pot., q. III, a. 1 ad 14; ibid., q. VI, a. 1 passim.*

<sup>1</sup> *In lib. II Sent., Dist. I, q. I, a. 2 sol.* « Creatio, inquit s. Bonaventura, est totius substantiae secundum totum; *In lib. II Sent., Dist. I, p. I, a. 2, q. 2 resol.*

<sup>2</sup> *In lib. De causis, lect. XVIII.*

<sup>3</sup> « Si quis, ita a Concilio Vaticano definitum fuit, non confiteatur, mundum, resque omnes, quae in eo continentur, et spirituales, et materiales, secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas... anathema sit »; *Sess. III, Const. dogm. De Fide Cathol., Can. I, n. 3.*

<sup>4</sup> *I, q. XLIV, a. 1 c.* Vid. etiam *Contr. Gent., lib. II, c. 15.*

suum a Deo habet, in *creatione* consistere. Nequit Deus dare esse rebus ex materia praeeistente. Ergo res a Deo efficiuntur ex nihilo, seu esse suum a Deo accipiunt per creationem. *Antecedens* ita demonstratur: A Deo, quemadmodum ostendimus, esse omnium entium originem habet, proindeque esse ipsius materiae, quae et ipsa quoddam ens est, ita ut haud possibile sit esse materiae existere, antequam a Deo efficiatur. Atqui, si res ita se habet, compertum est Deum res non producere ex aliqua materia praeeistente, sed eas ex non ente, sive ex nihilo educere <sup>1</sup>. Ergo.

163. Demonstrationi directae indirectam, quae maiorem perspicuitatem habet, adiicimus. Ut origo mundi explicetur, hae hypotheses fingi possunt. Nam vel mundus semper extitit, qualis nunc est, seu est aeternus tum ratione materiae, tum ratione formae <sup>2</sup>; vel ingenita, et aeterna est materia informis, et ex ea mundus effectus est per ordinem, seu formam, quam Deus materiae in tempore largitus est <sup>3</sup>; vel aeternae sunt atomi, et ex iis per infinitum inane vagantibus, atque in diversas combinationes temere coalescentibus, mundus, quem videmus, ortus est <sup>4</sup>; vel mundus omnino est emanatio, aut evolutio substantiae Divinae, ita ut ab ipso Deo non distinguatur, ac proinde sit, qualis Deus est, aeternus <sup>5</sup>; vel denique a Deo e nihilo eductus,

<sup>1</sup> Cf s. Aug., *De vera Relig.*, c. 18, n. 36; s. Ansel., *Monol.*, c. 6, et s. Thom., *ibid.*, a. 2 c.

<sup>2</sup> Praecipuus auctor huius sententiae fuit Aristoteles. Cf Jul. Simon, *de Deo Aristotelis*, Paris 1839.

<sup>3</sup> Haec fuit Platonis doctrina, de qua dignus est, qui legatur H. Martin, *Étud. sur le Tim.* etc., Argum., § 7, t. I, c. 27, et not. LXIV, t. II, p. 179 sqq.

<sup>4</sup> Ita opinati fuere Leucippus, Democritus, aliique veteres defensores atomorum.

<sup>5</sup> Haec omnium veterum, recentiumque Pantheistarum sententia est. Opiniones aliorum recentium, qui creationem impugnant, ad primam, et tertiam revocantur. Etenim ipsi cum atheismum vel manifeste defendant, vel occulte insinuare aditantur, mundum, vel qualis nunc est, semper extitisse, vel ex vi ipsi materiae insita evolutum, sensimque efformatum esse autumant. Prima harum opinionum defensa fuit a multis Incredulis saeculi proxime elapsi. Altera valde probatur Büchnero, aliisque materialistis Germaniae. Ipsi enim, cum teneant nullam aliam vim existere, quam quae materiae inhaeret, eamque non nisi in materia existere posse, inde colligunt mundum ex vi ipsi materiae insita evolutum, sensimque ef-

seu creatus fuit, ab eoque ordinem, quem prae se fert, accepit. Atqui ex his hypothesis quatuor priores sunt absurdae. Ergo, secundum leges syllogismi disiuncti, restat, ut quinta, quae creationem mundi statuit, sit vera.

164. *Minor* probatione eget. In hac, relicta quarta hypothesis, de qua in Theodicea disseremus, trium priorum dumtaxat ratio habenda nobis est.

Iam abnormitas primae, et secundae hypothesis hoc argumento evincitur. Si materia, quocumque modo concipiatur, nempe vel sua forma iam praedita, qualis est mundus, vel omnis formae expers, esset infecta, ac proinde stricto sensu aeterna, ipsa procul dubio existeret ex necessitate suae naturae, ideoque immutabilis, atque ab omni successione immunis foret; siquidem id, quod non est factum, ex se ipso esse debet; id vero, quod ex se ipso est, existit necessitate suae naturae, et quod necessitate naturae suae existit, mutationi, et successioni obnoxium esse nequit, alioquin esset necessarium, et non necessarium, nempe necessarium, et contingens. Atqui repugnat, docentibus ipsis adversariis, quos hic refellimus, materiam esse necessariam, immutabilem, atque ab omni successione immunem. Ergo repugnat materiam, quocumque modo ipsa concipiatur, esse infectam, seu stricto sensu aeternam <sup>1</sup>.

165. Secunda autem hypothesis aliis, iisque validissimis argumentis oppugnatur. Et sane, Deus non poterat materiae ingenitae largiri formam, quam habet, nisi ipsa ab Eo penderet, Eique subiiceretur. Atqui repugnat materiam, quae est ingenita, atque infecta, ab aliqua causa anteriori pendere, ullique causae exteriori subiici. Ergo, si materia informis esse infecta, atque ingenita dicatur, Deum ex ipsa mundum, quem modo conspici-

formatum fuisse, ac proinde notionem creationis esse prorsus absurdam, quia creatio vim extra mundum positam, ab omnique materia seiunctam expostulat.

<sup>1</sup> Ex quo vides antiquos Patres philosophis, haereticisque aeternitatis materiae defensoribus iure, meritoque obiecisse, quod ipsi materiam Deo aequalem facerent, proindeque duos Deos commiscerentur; siquidem esse ex se ipso, seu necessitate suae naturae, immutabile, et stricto sensu aeternum, est proprium solius naturae summae, et perfectae, scilicet Dei. Inter eos, secus ac Auctor *Syst. nat.* (*Système de la nature*, part. 2, c. 2, Lond. 1770), impudenter asseruit, recensendus est Tertullianus, qui aeternitatem mundi adversus Hermogenem ex industria impugnavit.

mus effecisse dici nequit <sup>1</sup>. Praeterea id, quod est ingenitum, nullam mutationem admittit. Atqui nihil ex eo, quod est immutabile, fieri potest, quia perspicuum est hoc ipso, quod ex aliquo aliquid fit, mutari id, ex quo fit. «Materia ergo, ita concludit Lactantius, si facta non est, ne fieri ex ea quicquam potest <sup>2</sup>». Accedit, quod Deus infinita potentia pollet, ac proinde putandum non est Eum, non secus ac homines, non posse efficere quidquam, nisi ex materia iam existente; sed tenendum est Eum, sicut nullo artifice, ita nulla materia eguisse, ut mundum conderet <sup>3</sup>.

166. Absurdior est tertia hypothesis. Enimvero, atomi, ipsis Atomicis fatentibus, etsi inseparabiles sint <sup>4</sup>, tamen partes habent, materialesque sunt; quocirca si repugnat materiam esse ingenitam, repugnat etiam ingenitas esse atomos. Atqui atomi, ex quarum fortuita concursione mundum effectum esse Epicurus, recentisque Increduli comminiscuntur, sunt ingenitae. Repugnat igitur mundum ex atomis per aera temere convolantibus effectum fuisse.

167. Praeterea, etiamsi demus posse dari atomos, certe nullo modo evenire potuit, ut ex ipsis et singulae res, ex quibus mundus conflatur, et ipsa mundi compages efficerentur. Hoc in primis ex eo demonstratur, quod illae atomi tamquam ingenitae adstruuntur. Etenim plures atomi non possunt ad aliquam rem efficiendam coalescere, nisi quodammodo immutentur, quia necesse est ut ipsae aliquid in sese invicem agant. Atqui id, quod est ingenitum, est quoque immutabile. Ergo ex atomis ingenitis nedum universa mundi compages, nulla singularis res effici potuit. Secundo, iam a nobis ostensum est <sup>5</sup>, neque aliquod corpus, neque rerum corporearum varietatem ex atomis efformari posse; id quod de rebus ratione, aut quavis alia facultate sentiendi, et cognoscendi praeditis potiori iure dicendum est. Quocirca nulla species rerum, ex quibus mundus componitur, ex fortuito atomorum concursu fieri potest. Coagmentationem autem rerum mundanarum ex fortuito coecarum atomorum con-

<sup>1</sup> Cf s. Iustin., *Ad Gentes cohortatio*, c. 23.—<sup>2</sup> *De ira Dei*, lib. II, c. 8.

<sup>3</sup> Cf, prae ceteris Patribus, s. Aug., *Lib. De Fide et Symbolo*, c. 11, n. 2; nec non s. Thom., *Contr. Gent.*, lib. II, c. 16.

<sup>4</sup> Cf p. 89, not. 4.

<sup>5</sup> Pag. 90. Cf s. Aug., *Epist. CXVIII ad Dioscorum*, c. 4, n. 31.

curso derivari haud posse ex eo plane demonstratur, quod cuncta, quae in mundo sunt, arctissimo finium nexu continentur <sup>1</sup>.

168. Obiic. 1° Haud possibile est aliquid ex nihilo fieri secundum illud effatum: *Ex nihilo nihil fit*. Atqui creatio productionem rei ex nihilo significat. Ergo creatio non est possibilis.

169. Resp., *Dist. mai.* Haud possibile est aliquid ex nihilo fieri, quatenus nullus effectus ex nihilo, tamquam ex causa efficiente, fieri potest, et nulla res ex nihilo, tamquam ex materia, potest educi, *conc. mai.*, quatenus per infinitam causae efficientis virtutem, nulla praeciante materia, res, quae antea nullo modo extabat, in existentiam prodire non potest, *neg. mai.* Sub eadem *dist. neg. et conc. min.*; *Neg. cons.* Sane, cum nihilum non existat, omnino absurdum est illud esse vel causam efficientem, quae nempe aliquid producit, vel causam materialem, sive terminum, ex quo aliquid educitur. Quapropter, si illud effatum alterutro sensu sumatur, nulla dubitatio de illius veritate existere potest. At neutrum horum conceptu creationis continetur. Etenim, ut ex notione creationis iam a nobis tradita <sup>2</sup> patescit, ipsa appellatur productio ex nihilo ob duas rationes, scilicet 1° quia illud, quod creatur, non fit ex aliqua materia praeeistente <sup>3</sup>; 2° quia antequam sit creatum, est nihilum, seu nullo modo esse habet <sup>4</sup>. Priori ratione negatur rem creatam ordinem habere ad quamlibet materiam praeeistentem; aequae ac si dicatur, «iste loquitur de nihilo, quia non loquitur de aliquo <sup>5</sup>». Altera autem ratione asseritur rem creatam ordinem habere ad nihilum, quatenus ipsa est *natura sua* post nihilum, aequae ac si dicatur «ex mane fit meridies, idest post mane <sup>6</sup>». Iamvero huiusmodi productio nulli causae finitae convenire pot-

<sup>1</sup> Cf Lact., *Op. cit.*, c. 10, et s. Thom., *Contr. Gent.*, lib. II, c. 39. De hac re rursus in *Theologia naturali*. Cf p. 147.

<sup>2</sup> Pag. 159.

<sup>3</sup> «Creatio ex nihilo dicitur esse, quia nihil est, quod creationi praeeexistat, quasi non creatum»; In *lib. II Sent.*, *Dist. I, q. I, a. 2 sol.* Cf s. Aug., *Conf.*, lib. XII, c. 7, n. 7.

<sup>4</sup> «Dicitur creatio esse ex nihilo, quia res creata naturaliter prius habet non esse, quam esse»; *ibid.*

<sup>5</sup> I, q. XLV, a. 1 ad 3. «De nihilo, ait s. Augustinus, est, quod non est de aliquo»; *Op. imperf. contr. Iul.*, lib. V, n. XXXI.

<sup>6</sup> I, loc. cit. Cf s. Anselm., *Monol.*, c. 8.

est; at causae infinitae non repugnat, sed potius omnino consentanea est. Et sane causae finitae convenire non potest. Etenim omnis causa finita, cum determinata virtute polleat, expostulat determinatam distantiam inter illud, quod ab ea fit, et oppositum, ex quo fit. Atqui inter esse, quod in creatione producitur, et nihilum, ex quo producitur, nulla extat determinata distantia. Ergo nulla causa finita potest aliquid e nihilo producere, sed necessario expostulat aliquod esse, praeexistens, ut quidquam efficere queat. Causae autem infinitae non repugnat, imo omnino consentanea est. Etenim causa infinita, cum virtute infinita polleat, inter effectum suum, eiusque oppositum determinatam distantiam non requirit<sup>1</sup>. Praeterea, idem ex eo probatur, quod Deo, utpote Causae Primae, illa actio congruit, qua primus effectus, nempe esse simpliciter producitur<sup>2</sup>: « esse autem simpliciter per creationem causatur, quae nihil praesupponit, quia non potest aliquid praeesistere, quod sit extra eus simpliciter<sup>3</sup> ».

170. Obiic. 2<sup>o</sup> Si daretur creatio, ea sane foret actio transiens. Atqui actio transiens expostulat subiectum, in quod transit; creatio e contrario, cum sit productio ex nihilo, removet subiectum, in quod transit. Ergo creationem dari repugnat.

171. Resp., *Dist.* primam partem *minoris*, si fiat per motum, sive per mutationem proprie acceptam, *conc.*; secus, *neg.*; *neg.* alteram partem; *Neg. cons.* Actio transiens procul dubio expostulat subiectum, in quod transit, si de iis rebus sermo sit, quae fiunt per motum, sive mutationem, mutatio enim essentialiter requirit, ut idem aliter prius, aliter posterius se habeat. At si actio transiens non fit per mutationem, ipsa non expostulat subiectum, in quod transit, sed totum temporis momento fit<sup>4</sup>. Iam creatio certe est actio transiens, siquidem « significat actionem terminatam ad exteriorem effectum<sup>5</sup> »; sed, quamvis sit mutatio quaedam secundum modum intelligendi, « sicut si intelligatur aliqua res prius non fuisse totaliter, et postea esse<sup>6</sup> »; ta-

<sup>1</sup> Cf s. Bonav., *In lib. II Sent.*, Dist. I, part. I, a. 1, q. I ad arg.

<sup>2</sup> Cf s. Thom., I, q. LXV, a. 3 c.

<sup>3</sup> *Contr. Gent.*, lib. II, c. 21. Ex his perspicitur creationem ita Deo convenire, ut nulli alii, praeter Ipsum, adscribi possit. Cf *Qq. disp.*, *De Pot.*, q. III, a. 7 c. — <sup>4</sup> I, q. XLV, a. 2 ad 3.

<sup>5</sup> *Contr. Gent.*, lib. I, c. 79. — <sup>6</sup> I, q. cit., a. 2 ad 2.

men non est proprie *mutatio*, quia, cum « per eam tota substantia rei in esse producat, non potest esse aliquid idem aliter, et aliter se habens<sup>4</sup> ». Quoniam autem creatio nullum motum, sive mutationem exhibet, necesse est, ut in instanti fiat<sup>2</sup>, unde « simul aliquid creatur<sup>3</sup>, et creatum est<sup>3</sup> ». Nulla igitur repugnantia, quemadmodum adversarii obgannunt, in notione creationis delitescit.

ART. II. *Philosophi, qui necessitatem creationis ab aeterno<sup>4</sup> asserunt, refutantur*

172. Nonnulli Increduli, inter quos Robinetus, Voltaireus, Auctor *Epistolarum Persicarum*, atque omnes Rationalistae, inter quos Cousinius<sup>5</sup>, et, qui hodie hac de re ex industria tractavit, Em. Saissetus<sup>6</sup>, etsi creationem mundi haud negent, tamen necesse fuisse, ut ipse ab aeterno crearetur, contendunt; atque ideo dogma catholicum de temporaria mundi duratione<sup>7</sup> diversis rationis momentis oppugnare conantur.

173. Prop. *Necesse non fuit, ut mundus ab aeterno crearetur. Probatur.* Deus est causa libera, non necessaria mundi. Atqui si Deus est causa libera mundi, sicut poterat a mundo creando abstinere, ita eum in tempore creare potuit. Ergo necesse non fuit, ut mundus ab aeterno a Deo crearetur<sup>8</sup>.

174. *Maior* ita demonstratur: Si Deus est causa necessaria mundi, id ex alterutro capite evenire potest, vel quod illum producit necessitate naturae, non vero ex voluntate, quemadmodum Pantheistae volunt, vel quod producit eum ex voluntate,

<sup>4</sup> *Contr. Gent.*, lib. II, c. 17, n. 3. « Quod creatur, ait etiam (I, q. cit., a. 3 c.), non fit per motum, vel mutationem ».

<sup>2</sup> I, q. LXXIV, a. 1 ad 1. — <sup>3</sup> *Ibid.*, q. XLV, a. 2 ad 3.

<sup>4</sup> Quoniam Deus aeternus est, liquet Eum, si esset causa necessaria mundi, mundum ab aeterno creare debuisse.

<sup>5</sup> *Fragm. phil.*, *Avertissement à la 3<sup>e</sup> édition*, *Oeuvr.* t. I, p. 18, Bruxelles 1840.

<sup>6</sup> *Essai de philosophie religieuse*, Méditation 5<sup>e</sup>, t. II, p. 113 sqq., ed. cit.

<sup>7</sup> Hoc dogma, secundum perspicua SS. Scripturarum testimonia, continentemque SS. Patrum traditionem ab Innocentio III in Concilio Lateranensi IV (Cap. *Firmiter, de Trin. et Fide Cathol.*) definitum fuit; et nuperime a Concilio Vaticano iis verbis: « Si quis... Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat seipsum . . . , anathema sit »; *loc. cit.*

<sup>8</sup> Cf s. Thom., *Contr. Gent.*, lib. II, c. 31, n. 1.

sed necessaria, non libera. Atqui neutrum dici potest. Certe non primum; nam, ut sanctus Doctor argumentatur, Deus, cum sit essentia sua intelligens, « per intellectum agit; intellectus autem non agit aliquem effectum, nisi mediante voluntate, cuius obiectum est bonum intellectum, quod movet agentem, ut finis. Deus igitur per voluntatem agit, non per necessitatem naturae <sup>1</sup> ». Nec alterum; nam « voluntas non ex necessitate fertur in ea, quae sunt ad finem, si finis sine his esse possit . . . Cum igitur Divina Bonitas sine aliis esse possit, quinimmo nec per alia Ei aliquid accrescat; nulla inest Ei necessitas, ut alia velit, ex hoc, quod vult suam Bonitatem <sup>2</sup> ».

175. Obiic. 1° Si mundus esset a Deo creatus in tempore, Deum ante mundum fuisse dicendum foret. Atqui si Deus fuisset ante mundum, consequerentur duo absurda, nempe 1° Deum esse in tempore, quia *prius*, et *posterius* sunt differentiae temporis; 2° tempus fuisse antequam res creatae existerent, sive antequam tempus esset. Ergo absurdum est mundum in tempore creatum fuisse.

176. Resp., *Neg. min.* Enimvero, cum Deus ante mundum fuisse dicitur, haec anterioritas, ut s. Thomas advertit <sup>3</sup>, intelligenda est de duratione aeternitatis, non vero temporis, vel de aeternitate temporis imaginati, non vero realis, quatenus durationem aeternam Entis increati, quae sine successione est, sine aliqua successione imaginari nequimus. Hinc commode dici potest Deum fuisse ante mundum, quia vel Deum in tempore esse, vel tempus ante mundum fuisse statuatur. *Prius* vero, et *posterius*, seu *ante*, et *post* si considerentur in ipso tempore, procul dubio quaedam eius differentiae sunt; verum, si considerentur relata ad aeternitatem, non aliud denotant, nisi relationem temporis ad ipsam; siquidem nos, qui successioni assueti sumus, concipimus esse immotum illius *instantis*, quod est proprium aeternitatis, fuisse, antequam successio temporis inceperit, et futurum, si successio temporis desineret. Quare dicimus Deum fuisse ante mundum, et mundum esse post Deum, non quod Deum, perinde ac mundum, tempore contineri intelligimus, sed

<sup>1</sup> *Op. cit.*, *ibid.*, c. 23, n. 3.

<sup>2</sup> *Op. cit.*, lib. 1, c. 81, n. 1. Cf s. Ambros., *Hexaëm.*, lib. 1, c. 5.

<sup>3</sup> 1, q. XLVI, a. 1 ad 3.

quod, cum Deum extra omne tempus esse intelligimus, intelligimus quoque Deum fuisse ante mundi molitionem, et mundum esse incepisse, cum iam Deus esset <sup>1</sup>.

177. Obiic. 2° Si Deus mundum in tempore creasse dicatur, illud quoque dicendum est, fuisse tempus, in quo Deus ab omni opere vacavit. Atqui hoc consecrarium est absurdum. Ergo Deum mundum in tempore creasse non sine absurditate dici potest.

178. Resp., *Neg. mai.* Etenim is, qui asserit, si Deus mundum ab aeterno non condidit, fuisse tempus, in quo ab omni opere vacavit, sumit fuisse aliquid tempus, antequam res creatae existerent. Atqui haec suppositio est absurda, nam tempus, ut suo loco ostendimus <sup>2</sup>, ante rerum creatarum molitionem nec esse, nec concipi potest. Ergo, si mundus a Deo in tempore creatus fuisse dicatur, non ideo dicendum est fuisse tempus, in quo Ipse ab omni opere vacavit <sup>3</sup>. Accedit quod, docente s. Bonaventura, cum Deus sit ipsa sua actio, nihil novi Ei advenire potest, quoties aliquid operatur <sup>4</sup>. Atqui, si Deo per productionem mundi nihil novi advenit, cogitari nequit Eum, antequam mundum creasset, otio vacasse, atque cum mundum creavit, ab otio ad actum transiisse. Ergo, si Deus mundum in tempore, non autem ab aeterno creasse dicatur, ideo dicendum non est Eum, antequam mundum moliretur, otio vacasse.

179. Obiic. 3° Causa, quae ab aeterno est in actu, ab aeterno

<sup>1</sup> Cf s. Aug., *De Civ. Dei*, lib. XII, c. 17, n. 2.

<sup>2</sup> Cf *Ontol.*, c. XI, art. 2, p. 80-81.

<sup>3</sup> Audiatur s. Augustinus: « Ante principium temporis non erat tempus. Deus enim fecit et tempora; et ideo antequam faceret tempora, non erant tempora. Non ergo possumus dicere fuisse aliquid tempus, quando Deus nondum aliquid fecerat . . . Et, si tempus cum coelo, et terra esse coepit, non potest inveniri tempus, quo Deus nondum fecerat coelum, et terram »; *De Gen. contra Manich.*, lib. 1, c. 2, n. 3. Hinc sanctus Doctor advertit, « inaniter homines cogitare praeterita tempora vacationis Dei, cum nullum tempus sit ante mundum »; *De Civ. Dei*, lib. XI, c. 5. Secundum hanc theoriam ipse duo statuit, quae digna notatu sunt. Primum est, quod, si presse loqui voluerimus, mundus nobis dicendus est creatus cum tempore, non vero *in tempore* (*Op. cit.*, *ibid.*, c. 6). Alterum est, quod sine ullo errore asseri potest mundum semper fuisse; quia cum tempus, et res creatae simul esse coepissent, procul dubio nullum tempus assignari potest, in quo mundus non fuerit; *Op. cit.*, lib. XII, c. 13, n. 1.

<sup>4</sup> *In lib. II Sent.*, Dist. I, p. I, a. 1, q. 2 ad arg.

effectum producit. Atqui Deus est causa mundi, quae ab aeterno est in actu. Ergo mundus ab aeterno a Deo effectus fuit.

180. Resp., *Dist. mai.*, si sit causa necessaria, *conc. mai.*, si causa libera, *neg. mai.*; *dist. etiam min.*, est causa necessaria, *neg. min.*, libera, *conc. min.* *Neg. cons.* Et sane, posita causa, quae est in actu, necesse quidem est ponere eius effectum, verum effectus debet naturae causae respondere. Quare, si causa ex necessitate effectum producat, ea posita, effectum extra ipsam ponere necesse est. At, si causa effectum secundum propositum voluntatis suae producat, necesse non est, ea posita, effectum eius extra ipsam ponere; quia effectus causae ex libera voluntate operantis non solum debet esse talis, qualem ipsa vult, sed tum quoque, cum ipsum vult. Hinc, quoniam Deus est causa liberrima mundi, consequitur, etsi actus creationis sit ab aeterno, tamen necesse non esse, ut effectus eius, nempe mundus, sit aeternus <sup>1</sup>.

ART. III. *Investigatur, an mundus ab aeterno creari potuerit*

181. Inter Philosophos christianos s. Thomas secundum Ecclesiae Catholicae doctrinam tuitus est Deum ex nihilo mundum in tempore fecisse; sed contendit Deum potuisse mundum ab aeterno creare. Hinc statuit creationem mundi in tempore non certis, sed dumtaxat probabilibus momentis rationis <sup>2</sup> posse pro-

<sup>1</sup> Cf s. Thom., *Qq. disp.*, *De Pot.*, q. III, a. 17 ad 6, et ad 26. « Ab aeterno, inquit s. Bonaventura, voluit (Deus) producere tunc, quando produxit; sicut ego nunc volo cras audire Missam »; loc. cit. Quomodo autem creatio mundi in tempore cum Divina immutabilitate consentiat, in *Theologia naturali* clarius explicabimus.

<sup>2</sup> Hae rationes probabiles, seu extrinsecis principiis innixae, peti solent 1<sup>o</sup> ab antiquorum Sapientum opinione, gentiumque vetustissimarum consensu (cf Genuens., *Elem. Met.*, Dissert. II, t. V, p. 114, Bassani 1779). 2<sup>o</sup> Ex historiae monumentis cum profanis, tum sacris; nam inter omnes constat ea, quae historici gentium vetustissimarum memoriae prodiderunt, citra narrationem mosaicam evenisse; et narrationem mosaicam, quae et omnium antiquissima est, et vel propter sola humanae credibilitatis momenta omnem fidem meretur, productionem mundi in tempore describere, primosque humani generis eventus enarrare. 3<sup>o</sup> Ex novitate artium, et scientiarum; nam, cum compertum sit qui, et qua aetate inventores artium floruerint, genus humanum per infinitam anteceden-

tari, certamque notionem temporalis creationis mundi ex sola Fide nobis suppeteret <sup>1</sup>.

182. Argumentatio sancti Doctoris, et, qui cum secuti sunt, Scholasticorum <sup>2</sup> huc redit: Si posset stricto sensu demonstrari mundum in tempore coepisse, demonstratio peti posset vel a causa eius, nempe Deo, vel ab ipsius mundi natura, vel a natura ipsius actionis creatricis. Atqui ipsa ex nullo horum capitum confici potest. Non quidem a Deo, quippe quod, cum Deus sit causa instantanea, et libera mundi, Eum ab aeterno vel in tempore, prout Ipsi collibitum fuerit, creare potuit; quia effectus causae instantaneae simul cum causa existere potest <sup>3</sup>. Non ex natura ipsius mundi, quia, cum duratio sit accidens rerum creaturarum, res creata per se, et ex natura sua nullum certum genus durationis expostulat. Qua de re quatenus duratio rebus creatis convenire possit, non ex natura ipsarum rerum, sed ex potentia Dei, qui ipsis esse largitur, dignoscendum est; at Deus, ut paulo ante dictum est, mundum ab aeterno, vel in tempore creare potuit; ergo mundo vel aeterna, vel temporalis duratio convenire potest. Non denique ab actione creatrice Dei; haec enim expostulat, ut res ex *non esse*, seu nihilo, non vero ut post *esse* fiant, nempe a *non esse* ad *esse* veluti ab uno ad alium terminum transeant <sup>4</sup>. Nihil igitur philosopho suppedit, unde mun-

tium saeculorum seriem sine artibus vixisse incredibile est. Cf F. Henricus Reusch, *Biblia et natura*, Lect. XXXIV.

<sup>1</sup> Idem senserunt multi e Schola s. Thomae, necnon Durandus, alique. Scotus autem, Ockamus, eorumque discipuli sententiam, quae possibilitatem creationis ab aeterno asserit, longe probabiliorem negante censuerunt.

<sup>2</sup> Haec s. Thomae sententia inter recentes etiam Wolfium (*Theol. nat.*, pars II, c. I, § 447), et quamplurimos ex eius Schola consentientes nacta est.

<sup>3</sup> Cf *Ontol.*, c. IX, art. 3, p. 65-66.

<sup>4</sup> Illud hic adnotandum est, quod si de creatione, qualis re ipsa est, disseratur, mundum e nihilo factum esse dici potest etiam ob hanc rationem, quod *esse* post *non esse* habuit (cf p. 163-164); mundus enim re ipsa aliquando fuit, cum antea non esset. Verum, si de creatione ab aeterno sermo sit, quae a s. Thoma, aliisque veluti possibilis admittitur, seu, si notio creationis in se spectetur, illud *ex nihilo* proprie denotat defectum termini, a quo res creata fit, ita ut creatio non sit actio, quae ab uno termino in alium progrediatur. Enimvero τὸ *ex nihilo fieri* eo modo per se, et proprie intelligendum est, quo opponitur τὸ *ex aliquo fieri*, quippe quod

dum in tempore creatum fuisse stricte demonstret <sup>1</sup>.

183. At vero alii multi, post B. Albertum M., s. Bonaventuram, Henricum Gandavensem, possibilitatem creationis ab aeterno impugnarunt hisce potioribus argumentis <sup>3</sup>: 1° Id, quod factum est, principium durationis habere debet, ac proinde si mundus a Deo factus est, principium suae durationis habere debet. 2° Si mundus fuisset creatus ab aeterno, aeternitas ei tribuenda esset; ast aeternitas non nisi Dei propria est. 3° Posita creatione mundi ab aeterno, infinita series dierum praeterita esset; et sicut illud, quod praeteritum est, *pertransitum* est, ita *essent iam infinita pertransita*, id quod absurdum est; quia *infinita non est transire*. 4° Posita creatione mundi ab aeterno, infinitis diebus, qui praecesserunt, alia, novaque dies quotidie adderetur, ac proinde infinitum esset capax incrementi, id quod notionem infiniti destruit <sup>3</sup>.

creatio, et effectio sibi invicem opponuntur (cf p. 159). Atqui *tō fieri ex aliquo* opponitur *tō fieri non ex aliquo*. Ergo illud *ex nihilo* in definitione creationis, si per se, et stricte intelligatur, idem valet, ac *non ex aliquo*. Iamvero *fieri non ex aliquo* idem non est, ac *fieri post non aliquid*, seu post nihilum. Ergo illud *ex nihilo*, quod in definitione creationis ponitur, proprie, et per se non denotat rem, quae creatur, habere esse post non esse, sed habere esse non ex aliquo.

<sup>1</sup> Opusc. XXVII, *De aeternitate mundi*.

<sup>2</sup> Hanc sententiam fere omnes recentes amplexi sunt, eiusque atrocium magna animi contentione cl. p. Tongiorgi nuperrime suscepit; *Op. cit.*, *Ontol.*, c. 3.

<sup>3</sup> Aliud etiam argumentum ex eo petitur, quod, si mundus ab aeterno fuisset, infinitae generationes in tempore infinito praeterito existere debuissent, ac proinde infinitae animae humanae; et quoniam hae, utpote immortales, sunt permanentes, infinita multitudo animarum actu simul existeret; at actualem simultaneam multitudinem infinitam dari repugnat. Hoc argumentum omisimus; nam, ut advertit s. Thomas, quaestio non in eo versatur, num cuncta genera rerum creaturarum, ex quibus mundus constat, ab aeterno esse potuerint, sed num mundus in universum, aut saltem aliqua creatura ab aeterno conditi potuerit (I, q. XLVI, a. 2 ad 8). Quapropter iis, qui allato argumento possibilitatem creationis mundi ab aeterno impugnant, « posset dicere aliquis, quod mundus fuit aeternus, vel saltem aliqua creatura, ut angelus, non autem homo » (*ibid.*). Quod cum ita sit, illos, qui creationem mundi ab aeterno esse possibile pugnans, nihil cogit admittere generationes hominum ab aeterno cum mundo fuisse, ac proinde neque simultaneam animarum multitudinem actu infinitam.

184. At haec argumenta, ex D. Thomae sententia, apodictica non sunt; ac proinde iis responderi non difficulter potest. Sane responsio primae difficultati ex iam dictis manifesto colligitur. Nam creatio est actio, quae fit *in instanti*, seu sine ullo motu, ac proinde necesse non est, ut Creator rebus, quas creat, duratione praecedat <sup>1</sup>.

185. Quod ad alteram spectat, si mundus semper fuisset, certe non conveniret ei aeternitas essentialis, quae est propria Dei, nempe illa, quae in instanti posita est, omnemque successionem excludit; sed aeternitas imperfecta, nempe illa, quae successionis expertis non est. Quocirca rebus creatis non tribueretur id, quod solius Dei est <sup>3</sup>.

186. Tertia difficultas, ut sanctus Doctor inquit <sup>2</sup>, *non est cogens*; nam infinita series, « etsi non sit simul in actu, potest tamen esse in successione, quia sic quodlibet infinitum acceptum finitum est. Quaelibet igitur circulatio praecedentium transiri potuit, quia finita fuit: in omnibus autem simul, si mundus semper fuisset, non esset accipere primam, et ita nec transitum, qui semper exigit duo extrema ». Scilicet infinitum, quod admittere oportet, si mundus ab aeterno conditus fuisse dicatur, est eiusmodi, ut pertransiri possit. Etenim multitudo simultanea infinita certe pertransiri non potest, quia primum in ea non invenitur, ex quo transire ad alterum licet. Ast idem dicendum non est de multitudine infinita successiva; quia, cum haec ex elementis confletur, quorum unum alteri succedit, reipsa est aliquid finitum.

187. Quarta denique difficultas facile dissolvitur, si infinitum *simpliciter*, quod nempe omnem limitem excludit, ab infinito *secundum quid*, seu quod limitem undequaque non excludit, distinguatur; siquidem infinito *secundum quid*, cuiusmodi esset successio infinita praeteritorum dierum, aliquam additionem fieri non repugnat. « Nihil prohibet infinito ex ea parte additionem fieri, qua est finitum. Ex hoc autem, quod ponitur tempus aeternum, sequitur quod sit infinitum ex parte ante, sed finitum ex parte post, nam praesens est terminus praeteriti <sup>4</sup> ».

<sup>1</sup> *Ibid.*, ad 1. — <sup>2</sup> *Ibid.*, ad 5.

<sup>3</sup> *Contr. Gent.*, lib. II, c. 38. — <sup>4</sup> *Op. cit.*, *ibid.*